

272

270

276

266

scinderentur et multa aedificia ruerent. Haec in secunda mea peregrinatione vidi et ab omnibus Rhodiae militibus audivi, quod major angustia, timor, tremor et pusillanimitas cunctos acceperit in illis terrae motibus et majus nocumentum factum fuerit, quam in omni Turcorum impetu.

281

261

Non longe a Rhodo habent domini milites munitissimum castellum in Turcorum confinibus, quod nominant S. Petri castellum, quod magno sumtu in insula custodiunt, quod non parvo eis usui et Christianis est, qui manus Turcorum incident saepe eo fugientes salvantur, in quo ingentes canes tenent et nutrunt ferocissimos, quos per circuitum castelli currere permittunt, de quibus pro vero dicitur, quod Christianos odore cognosunt eisque adventantibus blandiuntur, Turcos vero latratu horribili produnt et morsibus insequuntur, sicut etiam superius dixi fol. 120. de porco in Alexandria, et P. I... de cane in hospitio fol. 32. Habent enim se canes isti ad Christianos, sicut canes Capitolii ad Scipionem, cui canes occurrentes numquam latratu prodiderunt, quare murmure vulgi dicebatur, quod a Jove esset in serpentem mutatus. Non sic canes Actaeonis venatoris; de quo fabulantur, quod dum venaretur, cum canibus lassus intravit vallem Gargophiae, ut se in fonte refocilaret; dum autem accederet, vidi Dianam nudam se lavantem; hoc dum Diana aegre tuit, assumtam manibus aquam in faciem ejus sparsit, qui repente in cervum conversus est, quo facto canes sui eum comedenterunt.

321

221

371

171

Hoc castellum S. Petri a quodam Teutonico, Suevo industrioso est primo inchoatum, hoc modo: cum domini milites Rhodenses nihil penitus haberent in continente ejus propinquo et solam insulam possiderent, incidit Commentatori, domino Johanni Schlegelholz, qui de insula lacus Podamici prope Constantiam de domo Johannitarum Meinaw Rhodum advenerat, aedificium aliquod in continenti erigere; assumtis autem militibus et servis navigavit in continentem terram Turcorum, quam nominant Tharsiam, et prope littus maris invenierunt campum delectabilem, in quo certis anni temporibus nundinae Turcorum sunt et multa hominum millia ibi confluunt. Designata pecia campi locum pro aedificio optaverunt, quod videntes Turci eorum vicini et fautores opus dimittendum persuadere conati sunt dicentes, totam Turciam per hoc commoveri posse, nec esse aliud venturum, nisi ut erecta per Turcos dis-

Ende

Anfang

